

U N I G E N I T O

14

Articulus tertius Te, tuaque præcepta vanitatis inculcat, quoties subsidium efficax, quod sæpe denegas, elargitus non fueris. Longè ab ea impietate abfuit Augustinus, & est, quisquis cum eo Catholicus auxilium semper quidem implorat efficacissimum; sed dum non conceditur, divinorum adorat iudiciorum inscrutabilem æquitatem, suaque agnoscit peccata pristina, & fortè præsentia, negati favoris indebiti causam plusquam sufficientem.

Contra quartum Articulum semper credidimus, omnia præcepta nobis sufficienti gratiâ possibile fieri, etiam dum efficaci in nobis auxilio non operaris; aliàs iterum injustitiæ argueris, qui punias omissionem præcepti, quod defectu operantis auxilii fuerit penitus impossibile.

Nihil peccatori perniciosius est Articulo quinto; dum enim nondum senserit DEUM *emollire cor per internam unctiorem gratiæ suæ*, fugere tenebitur *exhortationes*, & *gratias exteriores*, quales sunt lectiones spirituales, conciones, auditio sacri, & quæcunque exteriora pietatis officia; quia juxta Articulum, *ad nihil serviunt, nisi ad cor magis obdurandum*. Ita miser arcebitur ab omnibus exercitiis, & occasionebus, in quibus soles peccatorum animos pœnitentiæ stimulis compungere, & disponere ad conversionem.

Sextus Articulus inclementem, imò crudelem Te exhibet Judæis, quibus sufficientia ad salutem præsidia promereri nolueris, quibus imposueris præcepta tam multa, tam gravia, denegans simul auxilium, quo humana sublevaretur infirmitas, & boni operis potestas concederetur. Vocabas tamen eum populum electum, & ingentibus condecorare visus es prærogativis; sed externa illa amoris signa fallacia fuerint, si Judæos omnibus ad salutem necessariis, ac sufficientibus subsidiis reliqueris destitutos.

Eadem est Articuli septimi adversus Judæos durities, & in misericordissimam tuam providentiam blasphemia.

Articulus octavus eidem calamitati subjicit Christianos, privans novi fœderis honore, libertate, & quibuscunque favoribus, quoties efficiente gratiâ caruerint.

Articulus nonus eliminat ex hoc statu omnem tuam gratiam, præter *supremam*, sine qua confiteri Te nunquam possumus, & cum qua nunquam Te negamus; quasi verò nulla gratia sit sufficiens, sine qua quidem Te confiteri non possumus, sed cui libertate noxiâ dissentiendo resistimus, quæ Articuli doctrina inter quinque damnatas in Jansenio hæreses, est ordine secunda.

Eandem, & simul quartam ejusdem Episcopi hæresim, etiam à Tridentino Concilio tuo profligatam continet Articulus decimus, nullam agnoscens gratiam, nisi operationem manus Omnipotentis DEI, quam nihil impedire potest, aut retardare, nemo abjicere, nemo ei resistere, aut dissentire.

Juxta Articulum undecimum, *Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis DEI jubentis, & facientis quod jubet*, ubi secunda rursus traditur Jansenii hæresis, asserens interiori gratiæ in statu nature lapsæ nunquam resisti; quasi perperam de Judæis pertinacibus questus fuisses per servum tuum Stephanum, quod, uti patres eorum, *semper Spiritui Sancto resisterent*. Quasi & per Isaiam fallaciter quæsieris, *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectari ut faceret uvæ, & fecit labruscas?* Si enim omnis gratia faceret quod jubetur, Israël nomine vineæ significatus, nunquam fructus salutiferos, quos nonnisi per gratiam producere potuit, prætermisisset. Quomodo per eundem prophetam, ac dein per Gentium Apostolum dixisses, Te expandisse manus tuas tota die ad populum non credentem, & contradicentem, si nulla gratia optato, & cujus capax fuit, caruerit effectu? Profectò non caruisset, si gratia non esset aliud, quàm voluntas Omnipotentis DEI jubentis, & facientis quod jubet.

Articulus duodecimus, & decimustertius, benignissimam tuam salvandi omnes homines voluntatem ad solos eos restringens, qui salutis compotes sient, gloriosum adeò